
PROGRAMMA
QVO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS BARNSTORFF
Med. D. Prof. Publicus & Poliater.

Ad
Passionem
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
ipsius **FILII DEI**
Contra
BACCHANALIA
ritè & attentiùs considerandam
Omnium ordinum Cives eâ quâ fas est, humanitate seriò adhortatur.



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typograph
Anno. Christi 1696, d. 23. Februarii

Illud etiam tempus, qvô attentiori animo de passione Salvatoris nostri *Jesu Christi* sanctas subire cogitationes voluit antiqvitas, statim sub initium corrumpere velle, ut Bacchi in morem immoderatè vivatur, non tâm mirum qvâm sceleratissimum est. Hoccine est præparare animum ad rem sanctissimæ religionis eò ardentius considerandam? Hoccine est non illotis, ut ajunt, manibus i.e. reverenter & circumspectè sacra accedere? Jmo verò turpissimum est homini Christiano, ita ingenio esse corruptum, atqve tam promte carnis mundiqve obseqvio indulgere. Bacchas qvondam magnis clamoribus, tumultuqve omnia implevisse, non adeô mirum videtur illi, qvi feminas illas sicut furore correptas, ita & à pietatis sensu longe remotas novit. Et reliqvos etjam gentiles ad ejusmodi morum depravationem abreptos fuisse, qvid mirum? Homines fuerunt sibi relicti, sine *Christo* in mundo viventes, suisqve sensibus jam ad omne opus bonum prorsus inutiles facti. Eos autem, qvi *Christo* nomen dederunt, ita tamen intemperanter adhuc se gerere, ut bacchantium intemperiem & seqvi velint & seqvantur, ab omni illorum ratione & religione abhorrere meritò existimatur. Jta verò proh dolor! insidias variè hominibus struit diabolus, ut, qvos apertâ vi aggredi non audet, eos per fraudem circumveniat, voluptatibus carnis propositis, peccatisque opinione fragilitatis cujusdam humanæ se excusantibus. Dum ergô sacra & veritatem apud nos planè subvertere desperat hostis ille vaferrimus, id tamen agit, ut, quantum fieri potest, homines in securitatem conjiciat, atque sacra profanis misceat, relictâ modò religionis specie. Quid periculosius, quid nocentius esse potest? tantum veritati inde accedit detrimentum, ut apud plerosque illa non animum, sed linguam modò occupet, non pectus, sed faciem modò externam ad pietatem transformet, viresq; suas nunqvam satis explicare possit. Qvid proderant qvæso sive veritas sive leges, qvibus circumscripta velut erat gens Jsraelitarũ, cum ad lascivum carnis obseqviũ raperentur Num. XXV.? Jta tum animus jam in libidinem solutus erat, ut non veritatis persvasione, (ita enim securi videbantur esse)

sed



ſed gravi pœnarum caſtigatione ad officium redire oporteret. Et annon qvi in Bacchanalibus carnis deſiderium explere ſatagunt veritatem etiam ſuo loco relinquunt, parum curantes, qvanta vitæ circumſpectione ſit opus iis, qvi fidei indolem ea, qva fas eſt, cautione intelligunt atqve exponunt? Aut annon, dum in obſeqvium utriusqve & fidei & carnis animum formare volunt, id moliuntur, ut res, qvæ ſunt ſibi invicem planè adverſæ, in mutuum tamen ſocietatis vinculum coëant? Adeo ſuaviter in hominum perniciem diabolus vires colligit, ut & carni noſtræ per omnes ferè voluptatis partes benè eſſe in vita velit. Pudet jam & tædet in Bacchanaliorum ſordes & ſcelera diutius inqvirere, eorumqve uſum & progreſſum, qvo hominum res magis afflictæ ſunt, altius repetere. Satis exqviſitè, qvicqvid hîc rei aut ſceleris eſt, Viri longe doctiſſimi jam excuſſerunt, ſcriptisqve ſuis reliqverunt. Reſpiciamus potius eò, ut tam inveteratæ apud homines conſvetudini viribus qvantum licet, maximis occurramus atqve obicem ponamus. Qvicunqve ergo Chriſtiani nomen præferre juxta & tueri eâ qva decet, pietate cupimus, non animo patiamur excidere noſtro illud, qvod ſeriò monet Apoſtolus Ebre. XIII. 12. *ſeqq. JESUS qvò populum ſuum proprio ſanguine expurgaret, paſſus eſt, extra portam. Egrediamur ergo ad illum extra caſtra, opprobrium ipſius ferentes: non enim manentem hîc habemus civitatem, ſed futuram inqvirimus.* Si verborum gravitate, ſi rationum pondere res adhuc agi poteſt, ut Bacchanaliorum deteſtabiles ritus ex Chriſtianorum civitate qvàm longiſſimè ejiciantur atq; proſcribantur, hoc Apoſtoli effatum huc optimè conveniet. Ecce! qvanto pretio & ſanguine ſtetit noſtra redemtio à peccatis & ſeculi hujus corruptione. Eramus qvidem populus, ſed rebellis, ſed refractarius cui nec voluntas, nec vires parendi ullæ amplius relictæ erant: ut iterum fieremus populus Dei acceptus, eheu! qvantæ res difficultatis fuit. Ipſe *Filius DEi* ut populum nos ſibi repararet, homo factus ſimilitudinem populi ſui, qvanqvam ſine ulla labe, in ſe prius recipere & voluit & opus habuit. Ejecti eramus paradisò loco illo ſpectabilis admodum amoenitatis! Ipſe, JESUS etiam

qvi

qvi prædis loco pro nobis successit, urbe debebat ejici, ne nostrum exilium sine fine esset. Cœli jure & civitate expulsi eramus! Vah! qvâm miserabilis tunc erat facies rerum nostrarum. Cœlum minabatur qvamvis adversam tempestatem, ut ne oculos qvidem eò attollere integrum esset, & qvæ in terra ante pedes erant, non nisi mortis ruinam & internecionem omnem videbantur afferre. JESUS itaqve noster, qvò ad cœlum nobis iterum pateret aditus, ultra etiam sortem humanam omni jure indignus habebatur, juxta & iniqvissimè ab hominibus tractabatur, tanqvam purgamentum qvoddam extra portam projiciendũ. Significatum jam antè id erat in V. T. sacrificio, qvo singulis annis unâ tantum vice peccata omnium singulari planè ratione expiabantur, eâ tamen lege, ut postqvam sanguine hilasterium septies aspersum erat, ea, qvæ ex hirco reliqva erant, præter sanguinem extra urbem efferrentur, igne penitus absumenda & concremanda, ne qvicqvam in usum Sacerdotum cederet Levit. XVI. 27. Christus nimirum tanqvam verum sacrificium & unicum, cujus virtute omnia jam prius in V. T. valebant, ita se offerre Deo voluit, ut nihil sui esset, qvod non in satisfactionem pro nobis & insumeret & conferret. Extra portam itaqve iræ Divinæ incendio & amore salutis nostræ adeò flagrabat, ut sanguinem omnem effunderet, & Corpus exanimatum penderet tanqvam spectaculum non sine luculentissimo expiationis jam factæ testimonio omnibus intuendum. Immundi eramus pessimè & mente & conscientia & cunctis agendi viribus, qvibus vitæ nostræ fit significatio, ut non posset non á nobis *DEUS* longissimè faciem avertere, pariter & recedere. Jam *Christus* pro nobis intercessit tanqvam interventor efficacissimè apud Deum pro salute nostra interpellans: Non ergo ipse in cœlo, loco illo sanctissimo, non in urbe Hierosolyma, ubi templum erat sanctissimæ religionis, sed extra portam debebat tanqvam piaculum qvoddam mactari. Peccatum enim erat factus ipse *Christus* pro nobis II Cor. V. 21. & maledictio legis Gal. III. 13. Ast qvantæ abominationis res est peccatum! Peccatores qvidem nos sumus omnes, sed qvamdiu in hac vitâ spes gratiæ esse potest, nondum

peccatum

peccatum ipsum. Talis enim qvi est, ei non tantum imminet ira divina gravissimè, sed ita eum etiam supprimit, ita angit, ut, dum nudus homo est, in æternum cruciari & perire necesse habeat. Peccatum namqve ipsum sicut nulla unqvam misericordiâ dignum esse potest, ita, qvi jam tali nomine venit, omnem sensum iræ divinæ experitur plane intolerabiliter. Vah! qvantam in eum miserabilem hominem maledictio legis incursionem facit! Qvâm horribili modo eum non tantum incessit timor, sed ita affligunt supplicia nullâ linguæ virtute exprimenda, ut prorsus præstaret non esse, qvam ita malè esse. Qvamdiu verò hîc homo spiritum vitæ ducit, adhuc sensum aliqvem habet gratiæ divinæ, qvâ illum DEUS suâ bonitate ad vitam vult resuscitare. Sanguine enim *Christi* reconciliatus DEUS cum mundo, nulli gratiam neque sceleratissimo cuique, quamdiu hic spirat, ex odio quodam simpliciter subtrahit, sed liberalissimè eam omnibus offert II. Cor. V. 19. seq. ut peccatum hîc quidem circumferant omninò homines, sed nondum ad peccatum ipsum, tanquam ad terminum pœnarum ultimum sint constituti. At verò *Christus* ipse *Filius* DEI ita peccata omnium in se derivavit, ut in oculis Dei nonnisi abominationi esset omnibus ferè modis detestabili conf. Matth. XXVII. 46. Extra portam itaque à societate etiam hominum ita erat removendus, ut, licet magna ipsum hominum multitudo spectatum comitaretur, ipsum tamen indignum judicarent omnes, paucis quanquam exceptis, quocum amplius conversarentur. Et nisi infinita fuisset virtute ipse prædicus, qva omnem etiam iræ divinæ impetum sustinere potuisset, ipsi tandem superabilem, nunquam tanto ex malo eluctari, nunquam emergere viribus ejus fuisset permissum. Adeò violentâ morte JESUM nostrum extingui oportuit, ut nos, qui in mortem æternam incideramus, inde eriperemur, & ad vitam fieremus reduces! Adeò sanguinis profluvium pati debuit Salvator optimus, ut ne minima quidem gutta in corpore relinqueretur, ne fraudem morti subesse suspicarentur homines, & quo magis abundaret redemtionis pretium cruentissimum pariter & certissimum. Adeò abjecte & vilissimè extra portam fuit suspensus JESUS noster, ut cœli porta pateret iterum omnibus, & ad JESUM in san-

guine

guine suo aspiciendum nulli intercluderetur aditus! Quis nostrûm non omni jam animi contentione ad tantæ salutis properaret contemplationem, quæ extra portam est proposita omnibus! Quis mundi sive voluptatibus sive placitis se ita amplius capi & contineri pateretur, ut ad spem meliorem sibi ipsi deesse velit? Egrediamur tandem sinceritate quadam animi ad JESUM *Dominum* nostrum extra castra atque strepitum hujus mundi satis tumultuosum! Prohibuit Apostolus v. 9. leges amplius observare, quæ de cibis aliisque rebus circa sacra V.T. erant latæ, tanquam ipsa significatione sua, interpositâ redemtione *Christi*, jam prorsus inutiles. Eum enim etiam in finem ostendit v. 12. *Christum* portâ egressum esse, ut immunditiem populi una vice è medio tolleret, immolationeque unicâ perficeret, quicquid ad satisfactionem nostram ira divina sibi fieri voluit. Et ne inde fides ipsa crederetur per se mutata esse, jam cautum erat v. 8, dum *Jesus Christus* heri & hodie idem ille & in æternum, sed circumstantias modò qvasdam abrogatas esse Apostolus docet, quum, quæ futurum *Christum* respiciebant, ipso jam manifestato, nullum usum amplius præstare ex meritò intelliguntur. Quod si jam neque legibus circa ritus V. T. obtemperare amplius oportet, quid, judicate ipsi, de mundi voluptatibus, deque aliis mundi rebus, quas hominum studia sibi variè præfigunt, statuendum. Præferebant adhuc ritus illi voluntatem aliquam Dei; ast quid voluptates mundi, quid aliæ corrupti hujus seculi consvetudines? Tantam res illæ sua prorsus indole afferunt juxta & disseminant ingenii humani labem, ut ad bonum ritè procurandum neqve vires neqve consilii copia reliqva sit. Egrediamur ergò mundo, genialibus illis Qvadragesimæ diebus, qvibus cuticula benè curatur, (Carneval vulgò dictis) nuncium serio mittentes. An non Christi opprobrium ferre jubemur? Ast ita in diem vivere qvodnam opprobrium? Ea demum est Christianorum gloria ita paratum esse animo, ut rebus mundi non tantum cautè & parcê utamur, sed etiam abnegatâ nostra voluntate, non adeo vitæ commoditatem seqvamur, æquè potius ferentes, qvicquid gravius propter fidem Christi in nos consulatur. Verebantur

scilicet

ſcilicet tunc temporis ex Judæis Chriſtiani facti varias calamitates ab iis, qui Judaicos ritus adhuc urgebant pertinaciter, ſi quando à Judæorum conſuetudine illâ tandem prorſus abſtinerent. Confirmare ergò ipſorum animum vult Apoſtolus, ne metu deterriti ſegniores fierent in opere Dei, ſed pro libertate ſua in quam Chriſti ſanguine vindicati eſſent, pugnarent confidenter, tanqvam ipſius crucis Chriſti participes ſic laudabiliter futuri. Nos verò, qvibus ejuſcemodi difficultates crucis ab hoſtibus non objiciuntur, quid jam noſtrum eſſe cenſebimus? Id ſanè nobis incumbit, ut carnem ipſi noſtram crucifigentes, h. e. affectus ſive iræ ſive libidinis, ne ita licenter erumpant, comprimentes, ad ſimilitudinem vel aliquam opprobrii Chriiſti accedere videamur. Exeamus ergò portis mundi, ne ſive nobis ipſis placere amplius ſtudeamus, ſive in aliud minus rectè vivendi genus, prout hominum fert conſuetudo, prolabamur. Qvam afflicti ſunt illi, qvi, dum fugere licet, intra portas in obſidione manent! Qvantum ſubinde terrentur machinis ignivomis, qvibus qvatiuntur ædificia, aut aliorum corpora? Et qvæ mala non in ipſorum perniciem concurrunt? Qvi foris degunt, fugiendi locum habent aut aliter adhuc ſibi conſulendi feliciorem. Et quam qvæſo calamitatis fortunam experiuntur illi qvi in mundo, tanqvam in domicilio ſuo, habitandi non commorandi tantùm locum ſibi datum eſſe perſvaſum habent. Certè qvemadmodum miſere fallebantur olim, qvi Hieroſolymam tanqvam locum perpetuis ſacrificiis etiam perpetuò futurum ſperabant, inqve eas anguſtias obſidionis tempore redigegebantur, ut graviſſima qvæq; etiam in ſe ipſos mutuò decernenerent, ita illis aliqvando idem obtinget, qvi hic ſibi velut fixas ſedes rati, non qvæ futura ſunt, maturè cogitant, ſed omnem rationem vitæ modo præſentis habent, in libidines ſuas adeò proni, ut ad qvemvis earum impetum jam velint, qvod lubet. En hominum levitatem! O cæcos mores! Qvis intra mundum ita converſandi porrò voluptate duceretur aut conſilium iniret? Fugiamus ergò mundum, qvotqvot diligentiores videri volumus in iis, qvæ ſunt animæ noſtræ, & ad æternitatem pertinent. Cumq;

Bacchanalia

Bacchanalia omnem ſanæ mentis curam prorſus ex animo dimo-veant, atqve vitiorum catervæ utramqve, ut ajunt, feneſtram qvàm latiſſimè aperiant, vobis ipſis, *Cives optimi*, jam judicandum relinqvo, annon tandem è re noſtrâ ſit, melius ſapere, illamqve peſtem cane pejus & angue ex finibus noſtris depellere. Cogitate inſanos illos mores, qvibus vitam ſuam conſpurcant Bacchantes! Cogitate illã aut violentiã aut ſpurcitiem lingvæ, qvâ boum inſtar ſolent per plateas clamare & inverecundè obſcæneqve loqvi! Cogitate illam tandẽ impotentiã animi, qvâ ſe malunt in peregrinas ſive beſtiarum, ſive aliorum hominum, ſive vel ipſius diaboli figuras transferre, qvâm ad morum gravitatem atq; elegantiam vitam componere! Diſcedamus qvâm longiſſimè ex ejusmodi hominum ſocietate! Portæ hæ ſunt inferorum, quibus ad æternam infelicitatem præcipiti tandem lapſu feruntur homines, qvi intra illas ſubſiſtunt. Non ita ſvaviter & molliter titillemus carnis ſenſus, ſatis jam ad ambitionis, ad gloriæ propriæ, & ad omnis libidinis pruritum ſtimulantes & turgidos. Contueamur JESUM noſtrum acerbiſſimè patientem! In hujus ſangvine, in hujus clamore, cum ſe derelictum qvereretur, & cum animam ſanctiſſimam efflaret, intelligamus vel tandem aliqvando, qvid ſit peccaſſe & peccare, & qvanti laboris ſit ex peccatis hominem cum juſtitiâ Dei reconciliare. Si neqve ipſi *Filio* propter aliena peccata Deus pepercit, qvid futurum illis, qvi ob ſua crimina iram Dei tandem omnem ſibi contrahunt, ut in æternum pereant. Qvare, *Cives optimi*, cum res ſeria hic agatur, non committamus jam, ut cum peccatis ludere videamur, nobis ipſis in re tanti periculi deficientes. Qvid enim habet vita ſecura, ſcelerata & prodiga ſui, niſi inſaniam & deſperationem abjectiſſimi animi? Surgamus ergò extra caſtra ſive noſtræ ſecuritatis, ſive mundi, qvantâ fieri poteſt, velocitate contendentes! Seqvamur JESUM noſtrum extra mundum, inq; ejus paſſione & vires animi reficiamus, & qvicqvid eſt rei ſive gaudii noſtri, pleniſſimè ponamus. Valete.

P. P. Sub Sigillo RECTOR. ipſa Dom. Qvinqvageſimæ A. M. DC. XCVI.